

inviolabiliter observari debere, sicque nostræ mentis, et intentionis existere, et ita, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane quidquid super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 14. Ponuntur clausulæ derogatoriæ.

§ 15. Ponitur forma publicandi hanc Constitutionem, et tempus quo ligare incipit.

§ 16. Ponitur notificatio facienda per Ordinarios.

§ 17. Fides transumptis adhibenda : quæ cum non faciant ad rem nostram, brevitatis causa omitto.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7 Decembris anno millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

In qua Constitutione, ut vides, Pontifex plura statuit omnimode observanda. Primo, statuit quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis possit in Ecclesiis tam sæcularium, quam Regularium institui et aggregari. Secundo, quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum Literis testimonialibus ejusdem. Tertio, quod instituentes, vel aggregantes Confraternitatem, eidem expresse, et in specie communicent privilegia, et Indulgentias etc. Ordini instituenti, vel aggreganti nominatim concessa; non vero ea quibus per Privilegium communicationis gaudet. Quarto, quod statuta Confraternitatum examinentur, et approbentur ab Ordinario loci, et corrigi possint. Quinto, quod in aggregandis et instituendis Confraternitatibus servetur formula ab eodem Pontifice approbata. Sexto, quod gratiæ, et Indulgentiæ Confraternitati communicatæ, prævia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. Septimo, quod Confraternitas eleemosynas, et alia charitatis subsidia excipiat juxta formam per Ordinarium præscribendam. Octavo, quod dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in utilitatem Ecclesiæ, aliosque pios usus erogentur. Nono, quod Confessarii Confraternitatum sint ab Ordinario approbati. Decimo, quod, si sint Regulares, a propriis etiam Prælatibus approbentur; et absolvant Confratres juxta privilegia eidem concessa, dummodo sint in usu, nec Concilio Tridentino, cæterisque Pontificum Constitutionibus adversentur. Undecimo, quod Confratres non possint absolvi a casibus infrascriptis. 1. contentis in Literis Bullæ Cœnæ. 2. Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ. 3. Violationis clausuræ Monasteriorum Monialium, si ingressus fuerit sine urgenti causa, et absque Superioris licentia, vel cum istius abusu. 4. Injectionis manus violentæ in Clericum. 5. Singularis certaminis, seu Duelli. 6. Et ab aliis Sedi Apostolicæ, et Ordinario loci res-

pective reservatis, et pro tempore reservandis. 7. Necnon a quavis excommunicatione ab homine lata. 8. Neque super Irregularitatibus valeant dispensari. Duodecimo, quod Literæ erectionis, et aggregationis gratis dentur. Vide verb. *Indulgentia art. 4. n. 30* Tertio decimo, quod prius erectæ novæ erectionis Literas petant juxta formam ab eo approbatam; alioquin erectiones et institutiones aboleantur et annullentur.

Formula qua uti possunt et debent Superiores Generales Regularium in erigendis, seu instituendis, confirmandisque Confraternitatibus, ac communicandis Indulgentiis et gratiis, quas fere omnes Religiones a Sancta Sede, et signanter a Paulo V. pro hujusmodi Confraternitatibus obtinuerunt, est tenoris ut sequitur:

N. N. Ordinis N. Generalis.

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat sæcularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia, et indulgentias communicandi, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se præbere consuevit. Nos igitur, qui Generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christi fideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem N. in Ecclesia N. loci N. Diocesis N. de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem, ac Religionem, Literis patentibus Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per præsentis nostras Literas erigimus et instituimus, illisque, et pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia, et speciales gratias sigillatim inferius descriptas, nostræ Confraternitati nominatim expresse concessas per Breve Sanctiss. D. N. Pauli Papæ V. tenoris sequentis: Paulus etc. (*et inseratur tenor*). Quibus omnibus Indulgentiis, et spiritualibus gratiis descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam, ejusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus, juxta felicis recordationis Clementis Papæ VIII. Constitutionem sequentem: Clemens etc. (*inseriratur tenor*). In quorum testimonium has literas fieri, et per nostrum Secretarium subscribi, et publicari mandavimus, Sigilloque Officii nostri muniri. Datum etc.

(18. Formula autem pro aggregationibus debet esse tenoris, ut sequitur.

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. Auctoritate N. canonice erectæ, Salutem in Domino Sempernam.

Nos, qui juxta Officii nostri debitum, Fidelium salutem, pietatisque, ac Religionis progressum procurare debemus, libenter

nostræ Archiconfraternitati alias ejusdem instituti Confraternitatis adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis Indulgentias, facultates, ac alias spirituales gratias et indulta, juxta facultatem Nobis a Summis Pontificibus concessam, impertimur. Qua de re cum D. N. ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi, et Indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos Protector, Prior et Custodes prædicti totam ipsam Archiconfraternitatem representantes fel. rec. Clementis Papæ VIII. Constitutioni super hujusmodi aggregationum, et Cœlestis Ecclesiæ Thesauri communicationum moderatione nuper editæ inhærentes, his nostris Literis solo Dei amore, ac pietatis Religionisque Christianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam canonice, ut superius, erectam, attentis Episcopi, seu Ordinarii loci consensu, ac Literis testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas, ac religio commendatur, nostræ Archiconfraternitati (dummodo per Nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore hujusmodi concessionis aliæ Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam, adjungimus, et aggregamus, atque illi, ejusque Confratribus Indulgentias, et spirituales gratias infra sigillatim descriptas, nostræ Archiconfraternitati Literis Pontificiis nominatim, expresse et præcise concessas, largimur et communicamus. (*Deinde inseritur tenor Literarum Apostolicarum Pauli V. in quibus nominatim Indulgentiæ Congregationi et Societati aggreganti concessæ sunt; postmodum iidem Officiales sic loquuntur*.) Quibus omnibus Indulgentiis, et gratiis spiritualibus supra sigillatim descriptis, prædicta Confraternitas, ejusque Confratres uti, potiri, et gaudere possint, juxta Constitutionem fel. rec. Clem. Papæ VIII. tenoris sequentis (*et inseritur totus tenor Constitutionis, et postea officiales dicunt*): Volentes, et decernentes præsentibus Literis nostris eandem Fidem adhiberi quæ præinsertis Literis originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. In quorum omnium, et singulorum Fidem, et testimonium has Literas nostras exinde fieri, et per nostræ Archiconfraternitatis Secretarium subscribi, et publicari mandavimus, et sigillorum ipsius Protectoris, et Archiconfraternitatis jussimus, et fecimus appensione muniri: « Datum Romæ in loco solito nostræ Congregationis, anno, etc., indictione... Die... Pontificatus, etc. Præsentibus, etc. »

(19. Hanc formam refert Cherubin. in Compend. Bullar. Schol. ad dict. Constitut. 113. Clement. VIII. incip. *Quæcumque*, ubi testatur esse communem omnibus Congregationibus, quæ, si non servetur actus corruit, et non valet aggregatio, ut docet Leo Thesaur. for. Eccles. part. 4, cap. 2, n. 103. et 104. et tenent alii passim, quia d. Constitutio Clementis VIII. adducta sub num. 2. non tantum ab aliquibus, sed ab omnibus, qui facultatem habent aggregandi, observanda est, ut præcipit expresse Paulus V. in

Constitutione 63. incip. *Quæ salubriter*, ibi: « Propterea Nos volentes, ut Constitutio prædicta (id est Clementis VIII.) tam ab eisdem Lateranensis Ecclesiæ Capitulo, et Canonicis, quam ab aliis quibuscumque jus et facultatem communicandi hujusmodi Indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutiones, et Literas prædictas dicti Clementis Prædecessoris cum suis clausulis et decretis ad Basilicæ Lateranensis, et aliarum Basilicarum, et Ecclesiarum quarumcumque, Capitula, Canonicos, et quasvis alias personas similes facultates habentes, illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula, et Canonici, ac personæ, nullas in posterum indulgentias communicare possint, nisi prædictæ Constitutionis forma servata, et eas solummodo, quæ a nobis illis præscribitur, Auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, etc., sub penis in eisdem Literis contentis, inviolabiliter observari præcipimus et mandamus. »

(20. Ut autem ab omnibus distincte percipiatur quænam sint Indulgentiæ, et gratiæ similibus Archiconfraternitatibus, et Confraternitatibus concessæ, datur hic Constitutio Pauli V. incip. *Nuper Archiconfraternitati*, edita pro Confraternitatibus erectis, et erigendis a nostra Religione Minorum de Observantia, quæ quantum ad Indulgentias, et gratias concessas fere coincidit cum aliis editis pro Confraternitatibus aliarum Religionum, et est tenoris sequentis.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

(21. Nuper Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum Sancti Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, et illius Confratribus certas Indulgentias, et gratias spirituales concessimus per nostras in forma brevis literas hujus tenoris, videlicet: Cum certas unicuique Confraternitati Indulgentias, et gratias spirituales, quibus in posterum fruantur, duxerimus præscribendas; Idecirco omnes, et singulas Indulgentias, et peccatorum remissiones ac pœnitentiarum relaxationes Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, et illius Fratribus, hætenus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas revocantes, et annullantes, ac nullius roboris, et momenti post hæc data præsentium fore declarantes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi.

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in memoriam ejusdem Sancti Francisci Chordam benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingrediantur, die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

2. Ac tam ipsis pro tempore describendis quam jam descriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, et Consorioribus, etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Archiconfraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium, in festo principali ejusdem Archiconfraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem Festi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

3. In Mortis quoque articulo eisdem Confratribus, et Consorioribus, qui pœnitentes, et confessi ac sacra communionem refecti, vel quatenus facere nequiverint, saltem vere pœnitentes, nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

4. Nec non ipsis Confratribus et Consorioribus qui prædictæ Archiconfraternitatis Processioni singulis mensibus fieri solitæ interfuerint, tres annos, et totidem quadragenas, et si fuerint confessi, ac sacra communionem refecti, ibique pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

5. Qui vero Officio Beatæ Mariæ Virginis ab ejusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, et recitando, aut cujusvis alteri Officio pariter interfuerint, centum dies.

6. Insuper eisdem, qui Sanctissimum Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, et totidem quadragenas.

7. Qui vero pœnitentes, et confessi, ac sacra communionem refecti, aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Sancti Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci Festivitatibus singulis annis visitaverint et oraverint, ut præfertur, quo die Festivitatem hujusmodi illi egerint, septem annos, et totidem quadragenas.

8. Quoties vero corpora Defunctorum, tam Confratrum quam aliorum ad sepulturam comitati fuerint; aut alicui pauperi personæ in ejus necessitatibus subvenerint; aut pacem inter inimicos composuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

9. Insuper eisdem Confratribus, et Consorioribus, ut supradictas Indulgentias, et gratias spirituales consequi, et illas animabus Defunctorum, per modum Suffragii, applicare possint, per præsentem concedimus et indulgemus.

Ac propterea dilecto Filio moderno, et pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriusque sexus, sub dicta invocatione Chordigerorum S. Francisci, in qualibet Ecclesia Domorum

Fratrum Ordinis sui minorum Conventualium S. Francisci erigere, et instituere, servata tamen forma præscripta in *Constit. fel. rec. Sixti Papæ V. sub dat. XIII. Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno primo, et Clementis VIII. Prædecessorum nostrorum super hoc editis*; possit, et valeat, facultatem imperitumur.

Quæ quidem confraternitates si, et postquam erectæ et institutæ fuerint, eidem Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien. juxta prædictam Sixti V. Constitutionem, sint et esse intelligantur aggregatæ. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11 Martii 1607. Pontificatus nostri anno 2.

Cum autem ex concessione fel. rec. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri, dilectis Filiis Ministro Gener. et Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in Ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet in quibus Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi, et instituendi facultas impertita fuerit, Nos eisdem Ministro Generali, et Commissario Generali specialem gratiam facere, et Christifidelium spirituali consolationi prospicere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem ministro Generali, et Commissario Generali, et eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum, ac in locis, in quibus non existent Conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum S. Francisci utriusque sexus erigere, et instituere, illisque sic erectis, et institutis, Indulgentias et gratias spirituales supradictas communicare libere, et licite possint, et valeant, servata tamen forma in prædictis Constitutionibus Sixti et Clementis tradita ut in præinserto Brevi pro iisdem Conventualibus expedito auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem, et auctoritatem perpetuo duraturam concedimus et impertimur. Non obstantibus Nostra de non concedendis Indulgentiis, ad instar, ac aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac utriusque Ordinis hujusmodi, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis, cæterisque quibuscumque. « Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 25 Septembris 1607. Pontificatus nostri anno Tertio. »

(22. Confraternitatem Chordigerorum possunt ibique in propriis Ecclesiis erigere Patres Conventuales privative quoad omnes, ubi ipsi existunt ex *Constit. Sixti V. incip. Ex Supernæ Dispositionis*, in qua ipse Pontifex eorundem Archiconfraternitatem in

Ecclesia S. P. Francisci Assisien. primo instituit, et ipsi ex tunc omnes alias Chordigerorum Confraternitates in posterum erigendas aggregavit. (23. In locis vero in quibus non sunt Patres Conventuales, tales Confraternitates possunt erigere Minores de Observantia in suis Ecclesiis, ex concessione ipsius Sixti V. *Const. incip. Divinæ Charitatis et Pauli V. d. Const. incip. Nuper Archiconfraternitati*, et Clementis X. *Constitut. incip. Dudum felicis*. (24. Ex supradictis Pontificiis Constitutionibus clare deducitur, quod solummodo Prælati Ordinis Minorum, inter quos connumerantur Guardiani, et Præsidentes, possunt recipere volentes aggregari hujusmodi Confraternitati Chordigerorum privative quoad alios omnes, quia idem Sixtus V. in d. *Constit. incip. Ex Supernæ Dispositionis*, vult Chordam, quam Confratres gerunt, debere prius esse a Superioribus Ordinis benedictam, immo, et cinctam, et susceptam, ut idem Sixtus statuit in d. alia *Const. incip. Divinæ Charitatis*, et Paulus V. in d. *Constit. incip. Nuper Archiconfraternitati § 1*, concedit Indulgentiam plenariam omnibus utriusque Sexus Christi fidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci Chordam benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur, ubi vides quod Chorda benedicta ab ejusdem Ordinis Superioribus debet suscipi; quod et confirmavit, et innovavit Clemens X. in dicta *Constitut. incip. Dudum felicis*.

(25. Confraternitates Sanctissimi Rosarii erigere possunt, et instituere solum Sacri Ordinis Prædicatorum Magistri, vel Vicarii Generales, et per eos deputati Patres ejusdem Ordinis etiam in Sæcularibus Ecclesiis, ut constat ex variorum Pontificum Constitutionibus, et signanter ex Constitutione Sixti V. *incip. Dum ineffabilia*, ubi ipse Pontifex confirmat, et innovat Indulgentias, et privilegia a Prædecessoribus suis Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii concessa. (26. Et Innocentius XI. in *Const. incip. Exponi Nobis*, confirmavit, et validavit omnes, et singulas Confraternitates sub titulo sanctissimi Rosarii in quibusvis locis positas, et existentes, licet de eorum canonica ab initio erectione, et institutione non appareat; et eas in tam valido statu esse, et fore decrevit, ac si illæ canonice erectæ, et institutæ fuissent: servata tamen cæteroquin Constitutionum, et Decretorum Sanctæ Sedis forma, et dispositione circa talium Confraternitatum erectionem, et institutionem. Hinc attendendum est sequens novissimum Decretum S. Congregationis Indulgent., etc., in Constantien. Cum experientia compertum sit nonnullas SSm̄i Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat ordinaria, irrequisito Magistro Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve, cum Indulgentiis, cuicumque Confraternitati canonice erectæ, sive erigendæ generaliter concedi consuetis expediri; nonnulli extra Urbem, ac præcipue quidam Ecclesiastici viri, et Sanguinis nobilitate, et morum probitate in-

signes ex Diœcesi Constantien. recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonice reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita decidenda fuerunt exhibita: Primo: An si in scio Patre Generali Ordinis Prædicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, Confratres reipsa fruuntur Indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis? Et quatenus affirmative: Secundo: An fruuntur etiam aliis Indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctiss. Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis menstruis, aut aliis diebus? Hisce autem dubiis Sacra eadem Congregatio die 19 Augusti 1747, rationum momenti serio, matureque perpensis, respondendum esse censuit; ad utrumque Negative. De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium die 26 prædicti Mensis SS. D. N. Benedicto Papæ XIV relatione, Sanctitas Sua ipsomet votum, benigne approbando, confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis magisque illarum Confratrum, et Consoriorum devotio potius augeatur, omnes, et singulas uniuscujusque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in præfata Constantiensi Diœcesi, in scio Magistro Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali hactenus factas, Motu proprio, ac de plenitudine suæ Apostolicæ potestatis sanavit, ac validas esse declaravit. Immo prædictæ Diœcesis Constantien. populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno ejusdem Ordinis Prædicatorum Magistro Generali humillime supplicante iisdem Confraternitatibus sic erectis præter Indulgentias in respectivo earum obtento Brevi expressas, etiam omnes, et singulas alias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V. die 25 Junii 1569, incipientis: *Inter desiderabilia*, canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, clementer indulgit. (26. In posterum tamen, ut quodcumque dubium, et quævis abusus, aut molestiæ, vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus Dominus Noster de Apostolicæ pariter plenitudine potestatis voluit, et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates, seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius, et obtentis, juxta formam a S. Pio V. in præallegato Brevi præscriptam, a Magistro laudati Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali literis facultatis, ut alias a Sacra Rituum Congregatione die 9 Aprilis 1661, resolutum fuit, et ab Auditore Generali Sacræ Apostolicæ Cameræ in consimili causa anno 1663, per sententiam definitum. Sæpe dictus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas literas Sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non existant, aliis Ecclē-

siasticis personis, sive Regularibus, sive Sæcularibus etiam Episcopo benevisis expediet, ipsæque literæ, non nisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executioni mandentur.

Datum Romæ die 1 Septemb. 1747.

Fr. J. Cardinalis Portocarrero.

(27. Sic Confraternitates Corrigatorum S. Augustini, Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et Aliæ aliis Regularibus concessæ eriguntur, et instituuntur a suis respective Superioribus, seu deputatis Religiosis, ut patet in suis respective privilegiis, a Sede Apostolica obtentis. (28. Cum hoc tamen quod omnes ab omnibus erigantur, et instituantur juxta præscriptum a Clemente VIII, in d. Constitut. incip. *Quæcumque*; et adducta supra sub num. 2.

(29. Est autem hic advertendum primo, quod licet in d. Constitutione Clementis VIII prohibeatur ne in uno loco erigantur plures Confraternitates ejusdem instituti et generis, non intelligitur tamen hæc prohibitio de Confraternitate SS. Sacramenti, quæ immo ex declaratione Sac. Cong. Indulgent. sub die 7 Febr. 1607, cum approbatione Pauli V, desideratur, ut erigatur in qualibet Ecclesia Parochiali, non obstante quod ibi reperitur jam erecta quælibet alia Confraternitas, ut patebit infra ex propriis verbis transmissis ad Archiepiscopum Bononiensem cum mandato certiorandi Episcopos suæ Provinciæ, et sic etiam declaravit Sacra Congr. Episcop. in Vercellensi 3 Februar. 1610. (30. Nec etiam prohibitio Clementis VIII intelligenda est de Confraternitate Doctrinæ Christianæ, quæ etiam debet erigi in qualibet Parochia, ut decrevit Sac. Congr. Episcop. in d. Vercellensi, 3 Februar. 1610, et plurimum commendavit Innocentius XI, suis Literis Circularibus omnibus Episcopis datis 22 Junii 1686. (31. Nec intelligitur prohibitio de Confraternitatibus jam erectis ante publicationem d. Bullæ, quia ipsæ possunt confirmari plures, etiam si essent ejusdem Nominis et instituti; Sacra Congr. Indulgent. 27 Septembris 1607. (32. Est etiam advertendum secundo, quod licet in formula pro erigendis, et confirmandis Confraternitatibus, eisque communicandis Indulgentiis, et gratiis a Clemente VIII præscripta, et supra sub num. 17 adducta, et a variis Sanctæ Sedis Brevibus et Decretis requiratur distantia trium Milliariorum inter unam et aliam, tamen Sacra Congregatio Indulgentiarum de mandato Pauli V, ut tolleret varias controversias ortas inter Ordinarios locorum, et Confraternitates, ac Regulares, resolvit, et decrevit, prout Cardinalis Arigonius resolutionem et Decretum Archiepiscopo Bononiensi, cum onere certiorandi Episcopos suæ Provinciæ pro sedandis controversiis in illa exortis, transmisit; ut sequitur:

Molto Illustrate e Reverendiss. Monsig.

(33. Avendo risoluto questi miei Illustris-

simi Signori della Congregazione dell'Indulgenze, con autorità ed Ordine particolare avuto *vivæ vocis oraculo* dalla Santità di N. Signore, di levare alcune difficoltà che si trovano nell' eseguire la Costituzione di Clemente VIII, di felice mem. fatta già sopra le aggregazioni delle Confraternite, e dichiarare ancora alcune cose concernenti le istituzioni antiche fatte dai Superiori delle Religioni, fanno sapere a V. S. che si contentano, che i Superiori Regolari, a' quali è stata concessa nuova facoltà da sua Beatitudine d'istituire Confraternità secolari (secondo la forma della suddetta Costituzione) possano confermare senza consenso del l'Ordinario de' luoghi quelle Confraternità, le quali si trovano canonicamente erette da medesimi Superiori Regolari, avanti che si pubblicasse l'istessa Costituzione nelle Chiese proprie loro Collegiate, dove stiano almeno dodici Religiosi di famiglia ordinaria, non ostante che nella patente della Confermazione si dica espressamente farsi ciò di consenso dell'Ordinario medesimo. Dichiarando però, che nel fare nuova istituzione nelle Chiese tanto Regolari, quanto Secolari di qualunque sorta, e nel confermare eziandio l'antiche erette in Chiese Secolari, e Regolari ancora, nelle quali non stiano dodici Religiosi, si debba necessariamente avere il testimonio e consenso dell'Ordinario, ed osservare tutto il restante che si prescrive nell'istessa Costituzione.

Permettono similmente che i medesimi Regolari, a' quali è stata concessa la suddetta nuova facoltà d'istituire, possano confermare le Confraternità antiche, e istituirne di nuove, ancorchè non sia tutta quella distanza di luoghi, ove sono o saranno tali Confraternite, che viene prescritta da Brevi Apostolici, mentre però oltre tutti gli altri requisiti concorra anche a questo il consenso particolare dell'Ordinario del luogo, il quale si dovrà esibire in iscritto, prima che si dispensi sopra tal distanza, e non altrimenti.

Permettono ancora che ritrovandosi diverse Confraternità di secolari antiche, erette canonicamente, come sopra, in Chiese Regolari Collegiate di dodici Religiosi almeno, si possano confermare, servata però in tutto il resto la forma data dalla medesima Costituzione; e parimente che essendo in una Città o Terra più d'una Confraternità antica dell'istesso nome ed istituto, eretta canonicamente da Superiori Regolari, si possano confermare secondo la suddetta forma; ma nell'istituire nuove Confraternità vogliono le Signorie loro Illustrissime, che una sola se ne possa fare in qualunque Città, Terra o Luogo, eccettuando però la Compagnia del Santissimo Sacramento, la quale concedono, anzi desiderano che sia eretta in ogni Chiesa Parocchiale, non ostante che ci si trovi eretta prima qualsivoglia Confraternità.

E perchè molti dubitano, se per la Costituzione di sua Beatitudine sopra l'Indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con rivoceazione dell' antiche, vengano rivoceate anche l'Indulgenze concesse alle Chiese

Regolari, ed a quei che le visitano, ancorchè la Costituzione comprenda chiaramente solo le persone Regolari, senza estendersi alle Chiese loro; tuttavia la Congregazione per levare ogni dubbio, dichiara che l'Indulgenze concesse a quelli che visitano le Chiese de' Regolari, stiano nella loro forza, e vigore, finchè la Santità sua farà altra deliberazione, e però si possono lasciare pubblicare, quando non osti altra cosa.

Tutto questo è parso alla Congregazione di scrivere a V. S. acciochè nell' occorrenze di cotestà Chiesa sappia ciò, che passa in questo particolare, e lo faccia sapere ancora a' Vescovi della sua Provincia, ed io prego a V. S. dal Signore ogni vero bene.

Di Roma, 27 Settembre 1677.

Di V. S.

Per servirla

M. Card. Arigone.

Dominicus Maria Peregrin. Secret.

Illustriss. ac Reverendiss. Archiepisc.

Bononien. de mandato.

(34. Et insuper advertendum tertio, quod licet ad tenorem d. Constitutionis Clementis VIII. fuerit semper resolutum, quod plures Confraternitates ejusdem nominis et instituti non possint erigi, et institui in eodem loco, et solum sustinendam primò erectam, aliasque ultimo erectas post publicationem dictæ Constitutionis esse supprimendas, ut signanter in Foroliviensi his verbis: «Referente Eminentissimo Cæsario controversiam diu agitatam, inter Regulares Sancti Francisci de Observantia et Regulares S. Francisci Conventuales circa titulum Confraternitatis Sanctissimæ Conceptionis, Sacra Rituum Congregatio respondit, Confraternitatem erectam in Ecclesia Fratrum Conventualium sub eadem invocatione, quæ jam prius erat assumpta a Fratibus de Observantia, esse supprimendam — die ultima Martii 1640;» in Cassanensi his verbis: «Eminentissimo Cæsario referente controversiam Confraternitatis Sanctissimi Rosarii loci Morani cum alia Confraternitate sub eadem invocatione, Sac. Rituum Congregatio mandavit dari Decretum factum in his terminis pro Civitate Foroliviensi, et Novariensi die 17. Julii 1640.» Et sæpe alibi consimiliter, ut constat per decreta relata a Pignatello tom. 6. Consultat. 18. (35. Tamen ex suppressione Confraternitatis ultimo erectæ, non potest Confraternitas anterior in eodem loco erecta prætereire quod sint suppressi, et inhibiti actus ex devotione exercendi in alia Ecclesia ejusdem loci, et respectu ejusdem Sancti, sub cujus nomine fuit suppressa Societas, non obstante quacumque ea de re inducta transactione, seu alia quavis ad stipulata amicabili compositione, ut in Alexandrina pro simili casu inter Minores de Observantia, et Minores Conventuales fuit pronuntiatum in Prætorio A. C. præcisus sequentibus verbis.

(36. «Christi Nomine invocato. Pro Tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de jure Peritorum Consilio in

his scriptis ferimus in causa, et causis, quæ primo, et in prima coram Nobis, seu alia veteriori versæ fuerunt et vertuntur, instantiis, inter RR. Fratres Minores de Observantia Conventus S. Bernardini Civitatis Alexandria Actores ex una, et RR. Fratres Minores Conventuales Conventus S. Francisci ejusdem Civitatis, Reos conventos ex altera Partibus, de, et super rescissione Instrumenti Transactionis inter eos celebrata sub anno 1668, in dicta Civitate inter dictos Conventus, et RR. Fratres, rebusque aliis, de quibus in actis, ad quæ, etc., super interdictione, seu prohibitione quorumcumque actuum prætextu Societatis, ac etiam devotionis faciendorum in Novena S. Antonii de Padua per dictos RR. Fratres Minores de Observantia in ipsorum Ecclesia S. Bernardini, et in Ecclesia SS. Annunciationis dd. RR. Fratrum Minor. de Observantia in Quarterio Burgolii existent, dicimus, definimus, decernimus et definitive sententiam dictum Instrumentum Transactionis servandum esse in ea parte tantum in qua continetur suppressio Societatis, et exercitium quorumcumque actuum ejusdem Societatis prætextu faciendorum per dictos RR. Fratres Minores de Observantia; In reliquis vero rescindendum esse, annullandum et cassandum, prout Nos per hanc nostram definitivam sententiam annullamus, rescindimus et cassamus, et pro annullato, rescisso, et cassato haberi volumus, et mandamus, victosque victoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in Posterum reservamus. Et ita dicimus, pronunciamus, definimus, decernimus, et definitive sententiamus, non solum isto, sed et alio omni meliori modo, etc.

«Aldrovandus Locumtenens.

«Lata die 19, Februarii 1701, per acta D. Francisci Francischini Notarii A. C. Defendente Roccho Matteuccio totius Cismontanæ Familiæ Min. de Observ. causarum Patrono.»

(37. Regulares, qui ex Indulto Apostolico facultatem habent instituendi Confraternitates, seu Societates in eorum Ecclesiis, non possunt illas erigere seu instituere cum usu Saccorum absque Ordinarii loci licentia; Sacra Congreg. Episc. et Regular. in Chil. 6. Decembr. 1616. (38. Confraternitates Laicorum erigi, et institui non possunt in Ecclesiis Monialium; Sac. Congreg. Episc. et Regular. in Baren. 6. April. 1595, in Tirasonen. 6. Novemb. 1595, 15. Mart. 1599, et 5. Maii 1645. (39. Confraternitates ab Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, et institutæ, possunt libere discedere, et expelli, etiam si essent erectæ et institutæ in Ecclesiis Regularium; Sacra Cong. Concil. in Pisana 23 Augusti 1692. Sacra Congreg. Episc. et Regul. in Venezana 28. Novemb. ejusdem anni 1692. Rota coram Coccino dec. 472. (40. Confraternitatum aggregatio propriorum Ordinum potest fieri a Regularibus in quibuscumque Ecclesiis sive propriis, sive extraneis, ex dict. Constitut. Clementis VIII. incip. *Quæcumque*, et Constitut. Pauli V. in-